

tantum eam concessam dignitatem: Occidentalis enim India non ad Oceanum, sed ad mare Indicum specialiter dictum spectat. Vnde Regibus Castella sic curantibus ea est creata dignitas, quando regnum Portugallia minime eorum potestati subiacebat. Scribit autem Barbosa in Catalogo Episcopatum Tit. 1. in fine Archiepiscopum Goanum esse totius India Primatem. Et Beyerlinck ita scribit: In eadem Hispania Valenti-

nus Archiepiscopus Hispaniarum, ut Goanus, Indiarum Patriarcha, gaudet nuncupari. Sic ille. Tam autem est vnum a vero alienum, quam aliud. Dicitur quidem Patriarcha D. P. Ioannes a Riueras; sed quia Antiochenus: vnde forsan erroris occasio. Nec de his plura. Qualis Patriarchalis dignitatis vsus possit conuenienter Indiarum Patriarchae concedi, dictum a nobis Tit. 1. num. 40. & Tit. 2. num. 113. Vtinam vtiliter.

TITVLVS XIV.

DE INDICORVM EPISCOPORVM VICARIIS GENERALIBVS

Dicendum hoc loco de illis quia vnum cum Episcopis Tribunal constituunt: circa quos longissima posset institui tractatio, si ea, quae ad Indicos tantum spectant, non esset instituti nostri lucidare. Per breuia ergo capita, quae ad eorum conscientias pertinent, proponemus; pro quo sit

CAPVT I.

Quales esse Indicorum Episcoporum generales Vicarij debeant.

Litteratos esse debere. Et graue in electione non tantum fore peccatum.

Dico primò. Generales Vicarij debent esse homines litterati. In hoc ergo graue esse peccatum potest, & eorum, qui officium affectant, aut oblatum recipiunt, & pariter eligentium. Quod esse non rarum Indiarum malum pudor est attestari: dum homines merè Grammatici, & neque boni eo in genere, ad curam huiusmodi, omnium post Episcopalem maximam, assumuntur. Et solent Episcopi electionis talis excusationem eam adducere, quòd ipsi circa eorum actiones attentissimi sint futuri, à quibus pariter dirigendi: Qui autem officium affectant, ex eo securas conscientias reputant, quòd litteratorum sint consilio rebus in omnibus imbuendi. Sed nihil horum eos releuat: quia neque Episcopi dum visitant erga Vicariorum actiones aduigilare possunt, neque populi scandalum eà ratione depellitur: & impossibile moraliter est vt in omnibus, si expeditio negotiorum opportuna futura est, ad Episcopum recurratur. Quòd autem per Assessores doctos non fiat satis, ex eo constat, quia ita illi de Assessorum consilio debent sententiam pronuntiare, vt quod indicant intelligant, & non sint emortuæ fistulae aquae aliunde fluentis. Vnde Concilium Limense Tertium Act. 3. Cap. 2. sic decernit: Vicarios verò & iudices, ac Visitatores, ex ijs, qui sapientia & moribus praestant, eligant. Sic Concilium. Præterea ostenditur: quia Vicarius ge-

Concilium Limense.

neralis est iudex ordinariam habens potestatem, & iurisdictionem, vt supra diximus cum communi Doctorum sententiâ: pro quâ & complures congerit Barbosa de Potestate Episcopi Allegat. 54. num. 37. & seqq. & in Remissionibus ad Concilium Tridentinum Sessione 24. Cap. 16. lit. Z. Nec qualicumque iudex, sed amplissimi territorij, & diuersorum valde generum passim occurrentium causarum in materijs spiritualibus, sacris, & momenti maximis. Immo & iudex iudicum, cum ad eum omnis diocesanos gubernatio deuoluatur: ergo debet esse rei iudiciariae, in quâ versatur, peritus. Illatio est euidens, quam & iura humana praescribunt L. penult. de iudicibus, Vbi scribentes videantur, si lubet, P. Azor Parte 2. Lib. 3. Cap. 43. Quaestio 10. P. Bauny Tomo 1. Tract. 9. Quaest. 2. Barbosa supra num. 54. & alij passim. Videtur autem Zerola contrarium sentire in Praxi Episcopali Parte 1. verb. Vicarius, Assert. 21. vbi sic ait: Episcopus potest tenere Vicarium non Doctorem. Ratio est: quia cum ipse Episcopus sit Doctor, vt patet vulgaris iuribus, sufficit quidquid sit Vicarius. Sic ille. Sed certè venit commodè explicandus: sufficere inquam quidquid Vicarius sit, videlicet siue Doctor aut non Doctor, dummodò alijs sufficiens, quia multi sunt Bacchalaui Doctoribus doctiores, aut sine gradu etiam, doctrinâ studio, & experientiâ non mediocri comparatâ; sicut à Concilio Tridentino dictum de Vicario electo à Capitulo; vel alijs, quantum fieri poterit, idoneus.

Ex ratioe iudicij vtilium argumentum.

Zerola.

2 Dico secundò. Vicarius Episcopi probatis moribus esse debet, & aliter electio facta non sine mortalis culpae reatu constat & eligentis & electi. Id quod in Indijs peculiari ratione verum habet, ob causam sepius inculcatam de probitate Ministrorum, quia de noui Orbis conuersione agitur, & stabilienâ fide, ac moribus Christianis.

Assertio 3. probatis moribus pariter futurum sub mortali peccati reatu.

Christianis. Probant hoc adducti Doctores, & est ornamentum istud cum praecedenti conexum in formulâ, quâ creari Vicarius solet, & ex Iacobo Sbrozio adducitur à Barbosa supra n. 56. in qua sic dicitur: Nos Dei, & Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus. N. Salutem in Domino &c. Considerantes igitur probitatem, legalitatem, scientiam, discretionem, & industriam discreti viri. N. iuris viri, iue Doctoris &c. Pertinet etiam ad morum maturitatem competentia ætatis: & debere esse saltem viginti quinque annorum, adducti docent: licet Homobonus de Statibus Cap. 7. vers. Et sic dicat debere esse viginti octo, & in hoc non posse Episcopum dispensare, ex Cardinali, quem citat, non tamen communiter recepto. Et quidem cum ad Episcopatum triginta sufficiant: non est mirum si minus aliquid ad Vicariatum necessarium videatur, cum alias ætas. 25. annorum ad Presbyteratum sufficiat, in quo tantum constat dignitatis residere. Id colligunt ex Cap. In cunctis s. Inferiora, de electione, vbi sic dicitur: Inferiora etiam ministeria vt puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quae curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiae regimen, nisi qui iam 25. annum ætatis suae atigerit. Sic ibi. Cum ergo Vicariatus curam animarum annexam habeat, immò & eorum, qui curam animarum habent, in praedicto Decreto videtur comprehensus: sicut & ad eum spectant quae sequuntur: & scientia, & moribus commendandus existat. Nihilominus quia expressè id non habetur, fundamentum relinquitur ad contrarium asserendum: cum præterea addatur, vt ij, de quibus ibi est sermo, debeant praefixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinari. Quòd tamen de Vicariis non est ita receptum, & quidem doctorum, & probitatis eximia Praelatorum vsu: vnde & scimus aliquos post Vicariam functionem matrimonijs innodatos. Sed certè hoc ipsum inconueniens in causa esse deberet, vt non nisi Sacris initiati ad officium istud adscirentur. Vnde & refert P. Bauny Quaest. 2. citata s. Tertio debet, declaratum esse in Tolosana Curia Vicarium debere esse Sacerdotem, & ita non toleratum in officio quemdam, qui per abusum à sententia contra se lata ad dictam Curiam appellatur. Neque id mirum, quandoquidem & Breue Clementis octauum extat, quo Vicarij Sacris initiati esse iubentur. Non tamen in Hispania receptum, vt ex alijs testatur Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 8. num. 39. Licet ergo contrarium videatur probabile, quod ad ætatem scilicet attinet, & etiam quod ad Sacerdotium; dummodo cetera suffragentur; in facti tamen contingentia poterunt Episcopi grauius peccare huiusmodi electionibus, si attentis circumstantiis dispiciant defectus illos executioni officij posse incommodare.

Formula creationis.

Qua aetate esse debeat.

Cap. In cunctis, de electio. 21.

Ordines sacros an habere debeant.

Assertio 3. ad Indorum curam grauius obligatos.

Rom. 12. v. 11.

sa multâ egent solitudine, quia multi sunt eorum vexatione solliciti, vnde & diabolus occasionem eos perdendi desumit. Parochorum multi erga eorum pigritantur salutem, dum ad sua commoda indefinenter inuigilant: quorum pigritia Vicariorum est solitudine propulsanda. Vnde & feruentes spiritu sint oportet: spiritu inquam, non carne, carnis & sanguinis negotia pertractantes; eos sibi beneuolos cupientes, à quibus impleri promptuaria possunt, & ex hoc in illud eructare, Domino non mammonæ, & genio seruientes, quæ esse Indiarum critica constellatio solet, dum tot sunt qui sua querunt, non quæ Iesu CHRISTI, pro quo se ipsos impendere, & superimpendere, Apostoli exemplo, debuissent. Et Vicarij in primis, quibus sunt greges isti primarij Pastoribus ab ipso Pastorem Principe pariter & Pastore commissi. Videatur Dom. Reyna post hæc scripta visus Tomo 1. de Perfecto Praelato Lib. 5. Tract. 5. per plura Capita.

CAPVT II.

An Parochi Indiarum possint esse Vicarij generales.

4 Dico primò. Si nulla sit specialis necessitas, sed sola Episcopi in eo deprehendatur affectio, aut aliquis commoditas, non potest Parochus in Indijs esse Vicarius generalis, cum necessitate absentia sua Parochia, etiam illa per Vicarium suppleatur. Probatur ex generali Doctorum consensu circa obligationem residendi, de quo Titulo praeced. num. 20. vbi illam non humani tantum iuris, sed naturalis & diuini esse monstrauimus. Eo autem sic stante in Parochijs, manifestum est abesse non posse, nisi maius Ecclesiae bonum id postulet, vt communiter Doctores affirmant, & habetur expressè in Concilio Tridentino Sessione 23. Cap. 1. ibi; Euidens Ecclesiae, vel Republicae utilitas. Vbi licet de Episcopis sermo sit: eadem tamen est ratio de Pastoribus alijs, quia Concilium eo loco diuinum præceptum erga omnes agnoscit, ex quo deducit non posse non residere, nisi ex causis ibidem assignatis: quibus occurrentibus ratio naturalis dicitur obligationem talis præcepti cessare. Et in casu nostro id liquet: nam cum residere teneatur Parochus ob bonum Ecclesiae suae, rationabile omnino est, vt Ecclesiae amplioris bonum illi præferendum sit: quod perinde est ac dicere spiritualem multorum salutem paucorum esse saluti præferendam. Atqui in casu proposito non interponitur maius Ecclesiae bonum, vt est compertum, quia nulla est specialis necessitas, & affectio Episcopi circa hoc non est rationi conformis, cuius & aliquis commoditas non potest incommodis maximis ex absentia Parochi præponderare, vt Concilium clamat, & ratio clarissima persuadet. Et ita generaliter non posse Episcopum vti operâ Parochi in quocumque seruitio suae diocesis, nisi pro tempore duorum mensium, quod Concilium ibidem concedit. Parochijs ad non residendum iuxta Congregationis Cardinalium Declarationem, tradit Barbosa circa

Assertio 1. negans, si absentia fuerit.

Sola Ecclesia, ac Republica utilitas. Vbi licet de Episcopis sermo sit: eadem tamen est ratio de Pastoribus alijs, quia Concilium eo loco diuinum præceptum erga omnes agnoscit, ex quo deducit non posse non residere, nisi ex causis ibidem assignatis: quibus occurrentibus ratio naturalis dicitur obligationem talis præcepti cessare.

Capitulum



Capit. 1. citatum Seſſionis 23. numer. 7. & 8. Episcopos non potest. Et de Potestate Episcopi Allegat. 53. numer. 85. & 86. ubi alios pro eodem adducit.

Doctrina Nauarri quomodo accipienda, sicut & aliorum.

5 Quod ergo Nauarri ait Consilio 15. de Clerico non residentib. posse scilicet Parochum abesse, si Vicarius generalis eligatur, quod & alij affirmant; iuxta explicationem datam est admitendum, quando scilicet in eo evidens Ecclesie utilitas deprehenditur. Apostilla autem illius Concilij resolutioni Auctoris obſiſtit, dum in ea dicitur Sacram Congregationem censuisse Ordinarium hanc licentiam non posse dare, & quod illius Auctor videtur Curatum licentiam a Papa circa hoc negotium postulare. Quod ex aliorum etiam facto comprobatur Zerola in Praxi Episcopali Parte 1. verb. Parochus 6. Sexto. verum est; tamen Auctorem hunc non de Vicariatu loqui in diacese, in qua est Parochialis, sed in alia, & sic procedere ea, quae ibidem adducit. Et est quidem in eo discrimen non leue, quia Parochus Vicarius effectus a proprio Episcopo, curam suae Ecclesiae non relinquit: cum enim omnium in diacese existentium eam habeat, in illis, quae ipsius est propria, ante eius oculos obuerſatur. Nihilominus doctrina tradita generaliter est accipienda, quia & ratio generaliter urget, cum sit verissimum, quidquid de cura illa generali sit, Parochum non reſidere. Et inconuenientia illa fore certissima, quae ex Pastorum absentia subsequuntur: vnde & Declarationes Cardinalium ita expriment, cum de seruitio circa propria diacese loquuntur. Dixi autem in Parochis Indiarum hoc esse peculiare, quia Indi maiore cura indigent, vti plantae nouae, & substituti proprii solent commodis inhilare, nec sperari facile remedium possit, quandoquidem Vicarios propitios habent, vtpote eorum facturae, & quos student emolumentorum opportuna contributione de mereri.

Resolutio procedit etiam in diacese in qua est Parochia.

In Parochis Indiarum id speciale.

Affer. 2. Et etiam in Parochia propria residentiam, si officio nequeunt satisfacere.

Residentia materialis non sufficere.

Cap. Ex tirpanda, de Praebendis.

6 Dico secundò. Etiamſi Parochi vrbani sint, & in sua possint reſidere Parochia; si tamen ratione Vicariatus ita abesse necessarium sit, vt nequeant commode suo muneri satisfacere, eligi ad illud nequeunt, neque tuta conscientia admittere, stantibus tantum rationibus, de quibus Affer. praeed. Ratio est clara, & ex communi Doctorum sententia desumpta, iuxta quam residentia non requiritur pro materiali tantum assistentia Parochi, sed pro cura & sollicitudine opportunè Parochianis exhibenda: vnde etſi Vicarium quis habeat, de quo possit non minorem, quam de se ipſo, satisfactionem habere, per se ipsum tenetur in multis ministrare, vt alias diximus; pro quo & videri possunt Ioannes Sancius in Selectis Dissut. 47. Mosconius Parte 1. Cap. 2. Diana Parte 3. Tract. 4. Resolut. 156. alios adducens. P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. Quaest. 34. praesertim Dico 5. & quod maius omnibus habet pondus Innocentius Tertius in Cap. Ex tirpanda, de Praebendis, vbi sic ait: Qui vero Parochiam habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat in ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit. Sic ille. Tum sic. Qui ratione Vicariatus ministrare nequit in ordine suo, formaliter non reſidet, quidquid de materiali residentia sit: Atqui non reſidere absolute non licet Parochi ratione Vicariatus: ergo ne-

que stante residentia materiali, quae perinde est ac si non esset.

7 Ait tamen P. Bauny Dico 1. quosdam sic opinari, vt existiment eos, qui per alios munus Parochiale obeunt, quando illi viri docti sunt, ita vt aequè bene omnia ad illud spectantia praestare possint, obligationi suae satisfacere: quod cum generaliter asserant, ad casum nostrum poterit specialius adaptari. Sed certe talis opinio non videtur admittenda: vt enim citatus Pater ait, eorum est, qui Concilij Tridentini auctoritatem, verbaque quibus Seſſione 23. Cap. 1. residentiam ex vi praeccepti diuini obligare determinat, praesuis facientes nihili, ad libidinem opiniones sibi fingunt. Neque eorum ratio quidquam euincit, quod scilicet per alios aequè bene omnia Parochialia munia obiri possint: id enim est omnino falsum: nam praesentia Pastoris secundum omnes illius effectus insupplebilis est, quia mercenarius numquam potest agere vt proprius potest Pastor: & hoc ipsum quod est vni praesentem proprium habere Parochum, magni momenti est, & specialem seum affert confidentiam & consolationem: est enim ad manum recursus, si substitutus excedat, & ad omnia potentius adiumentum. Quod quidem clare ostendit non posse Parochum se penitus absentare, vt videntur voluisse illi, quibuscum praedictus Auctor disputabat. Non autem id sufficere ex eo etiam probatur, quia non pascens, absolute pastor non est, etiamſi per alium pascere conetur: sicut medicus non est, qui curam Egrotis medicum non deesse, neque Aduocatus, qui Aduocatorum patrocinium egentibus prouidet, & sic de aliis: Atqui officium Pastoris est, vt ex Concilio Tridentino constat citato Cap. 1. Seſſ. 23. de Reformat. verbis illis: Cum praeccepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique diuini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere. &c. Ergo dum nihil eorum per se agit, pastoris officium non exercet, vnde nec nomine tali dignus habetur. Iuuant etiam quae in Concilio post adducta sequuntur, dum sic dicitur: Pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia Pastoralia incumbere: quae omnia nequaquam ab aliis praestari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assiduum, sed mercenariorum more deserunt. Haec Concilium: quae quidem non solum de materiali assistentia, sed formali sunt etiam accipienda: & ex illis planum redditur per Vicarium non posse praestari, qui mercenarij ritu seruit, & in Indiis specialibus & frequentibus experimentis, satis & plusquam satis habetur exploratum.

Sententia eorum, qui Parochos seruire per alios posse affirmant, non esse admittendam.

Praesentia Parochi non esse insupplebilis, clare ostenditur.

Concilium Trident.

Affer. 3. Rationem maiorem boni raro occurrere.

8 Dico tertio. Licet quod dictum est de communi bono, & maiori utilitate Ecclesiae, satis verosimile sit, vt vidimus, & ita in Indiis vniuersim loquendo possit praestari: raro tamen talis occurrit casus, in quo iustificari huiusmodi electio possit. In Capitulis enim Cathedralibus viri esse sufficientes solent, & etiam extra illa. Quia vero iudicium de hoc videtur Episcopis reseruat, ipsi conscientiam suam consulant, & videant num ad electionem talem ratio inducat, vel impellet affectio. Illi certe qui dispositiones itas solent

lent sine passionum turbatione dispicere, non semel illud vsurpare conſueuerunt: Vt quid perditio haec habentes quidem personarum cognitionem, & iudicantes quidem posse communem procedere, nihil sua sede mouendo: quin & melius, quia & melioribus offensionibus, quae in istis solent non leues occurrere, deuitatis. Sed ipsi forte plus vident, & ita absit vt quidquam sinistrum de his arbitremur, qui Apostolico gradui succedentes. Et. 11. quaest. 3. & ita ad alia.

Cap. Ab. su. 11. q. 3.

CAPVT III.

An Praebendarij Cathedralium possint esse Vicarij Episcoporum.

Affer. 1. affirmans.

Concilium Trident.

Affer. 2. negans in penuria Praebendariorum.

Quid de casu necessitatis, Praebendariorum, & Curatum inter se comparando. Vbi pro Curato potestorem esse rationem.

Quomodo diuino cultui praesentanda animarum cura.

Concilium Limense.

Dico primò. Praebendarij dicti possunt esse Vicarij generales Episcoporum absolute loquendo, quia id nullibi inuenitur prohibuit. Imò in Concilio Tridentino Seſſione 24. Cap. 16. de Reformatione id supponitur verbis illis: Etiamſi fuerint ex eodem Capitulo. Quamuis ibi de Vicario Capituli sermo sit: sed quoad hoc nullum est discrimen, & ita Doctores id communiter supponunt, dum de loco agunt, in quo is sedere debet, & quos ex Praebendariis debeat praecedere. Ad quod cum satis trita doctrina respondet, de Vicario, qui de Capitulo sit, vel qui non sit de illo: pro quo videri potest Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 8. num. 43. & seqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 3. pag. 558. Col. 2. Dico secundò. In Cathedralibus Indiarum potest aliquando tanta esse Praebendariorum penuria, vt Episcopo non liceat Vicarium ex illis eligere, si propter officium diuino sit cultui detrimentum inferendum: in hoc enim esse peccatum mortale potest, vt cum aliis tenet P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum, Cap. 2. Dub. 12. num. 4. Tunc ergo aut Episcopus sine Vicario se gerat, si id non impedit diacese amplitudo, iuxta ea quae adducit idem Dom. Solorzanus supra num. 11. vel alium eligat, qui de Capitulo non sit, idoneum tamen: ceteris enim paribus ille eligendus est, aut si magnus excessus non sit. In casu autem necessitatis, ille legem facit. Quòd si ex Curatis quisquam idoneus appareat, dubitari potest in quo maius inconueniens sit, in eo scilicet eligendo, an in Praebendario? Circa quod dicendum minus inconueniens esse in Praebendarij electione, quia in illo non ita apparet praesens periculum animarum, & Deus id, quod ad earum salutem spectat, cultui suo patitur anteferi, quando in eo aliqua tantum diminutio sine scandalo adſpicientium interuenit: quia misericordiam magis, quam sacrificium amat. Vnde & Doctores circa cultum Eucharistiae aliqua omiti posse communiter asserunt, ne infirmus sine Viatico moriatur. Pro quo est & Decretum Concilij Limensis secundi, quod à Tertio confirmatum & renouatum Act. 4. Cap. 18. vbi sic dicitur: Cum solempnes feriae aguntur in vrbibus, earum celebratis causa Parochi populos sibi Indorum commissos nequaquam deserant, etiamſi Sacratissimum Corporis Christi Festum, aut etiam dies Parasceues in

magna hebdomada celebretur: neque vero ob id vocentur & inuidentur à Vicariis vrbium: cum Deo sit longè gratius obsequium oues proprias eo tempore instruere & curare, quam cum earum periculo vrbans solemnitates frequentare. Haec ibi. Quae quidem sic intelligenda, vt eo modo faciendum sit, etiamſi Vicarius relinquatur: de alio enim vix esse poterat dubitatio.

11 Dico tertio. Praebendarij qui ratione officij à Choro plus abſunt, quam officij administratio exigat, nequeunt assistentium emolumenta lucrari. Id constat: quia in eo, in quo Praebendarius non habet impedimentum assistendi, perinde se habet acſi officium non haberet. Deinde arguere possumus ex iis, quae circa Praebendarios, quibus ex officio lecturæ onus incumbit, vel in Vniuersitatibus Facultatum ingenuarum Professores sunt, addit Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 14. numer. 31. & seqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 14. pag. 616. & seqq. illis enim certae tantum sunt horæ concedendae, & non, vt contentabant aliqui, dies integra functionis. Et ea gratiam eisdem factam à Gregorio XIII. habetur in Declarationibus Cardinalium circa Cap. 7. Seſſion. 5. num. 12. 5. Non debent. Et ita id tenet P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum Cap. 2. Dub. 95. num. 5. de quo & inferius Titulo 18. Quòd autem in quauis alia iustà non assistendi causa, quae publicum bonum concernat, idem dicendum sit, apud eundem Dom. Solorzanum habetur num. 37. & talis debet Vicariatus officium reputari. Eſſet autem maius ad praesentem dictam fundamentum, si quis esset simul Vicarius, & publicus Theologiae, aut sacrorum Canonum Professor, vt hic Limae nonnullos vidimus: occupationes enim illae integrum hominem exigunt, ex quibus si quidquam temporis relinquatur, aliquali est quieti necessarium, vnde non videntur tales ad assistentiam in Choro diebus omnibus obligandi. Et quidem vt non assistant horis, in quibus exercitio munerum praedictorum vacant, ratio congrua perſuadeat; vnde & sic est per dispositionem aut declarationem iuridicam constitutum: Atqui geminata occupatione maius est otium pro studio & requie necessarium: ergo ratio quae pro vno militat, debet etiam pro alio militare. Id quod roborari potest ex dispositione Concilij Tridentini Seſſione 24. Cap. 8. de Reformat. vbi de Cononico Pœnitentiaro sic dicitur: Qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in Choro censetur. Haec ibi. Si ergo in Confessionibus audiendis toto eo tempore distineatur, quo Chorus non vacat, toto eo est pro praesenti reputandus. Cuius ea est ratio, quia totum illud officij conditio requirit: ergo similiter est in casu nostro dicendum. Idem autem esse de Archidiacono, & quolibet alio, dum auocatur à Choro, vt officio fungatur suo, communis resolutio est, pro qua Laetius Zechius de Repub. Eccl. Cap. 24. num. 6. & de Canonico pariter, qui Parochiam habet annexam vt videri potest apud P. Bauny Tomo 1. Tract. 11. Quaest. 7. 5. Secundus est. Et de aegrotantibus, per adducta à P. Thomas Sancio supra Dub. 90. ac de aliis legitime impeditis ex eodem Dub. 92. & seqq.

Affer. 3. Vltra tempus, quod officium exigit, abſentes non lucrari emolumentum assistentium.

Si publicus professor su qualis illi sit absentia conſideranda.

Concilium Trident.

Ex confessionibus pro alijs arguitur.

12 Et ita quidem videtur dicendum, si quòd Vicarius quis ſcit, ex necessitate Ecclesiae proueniat:

Si tamen ex necessitate.